Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2729

Quelle:
Copyright:

intelligendum hic cenſeam, *Dialogus* tamen noſter inter Opera ejus hactenus vulgata non habetur. Neque vero is in declaranda ſolum Creatione verſatur, ſed totam humanae reparationis οἰκονομιαν explicat, modoque tractationis *Elucidarium* illum refert, de quo dixi ad *Cod.* CCCL.

VIII. *fol.* 53. *Sententiæ diuerſorum.* Ita: *In uita electorum mala precedunt, ut bona ſequantur* &c. Maxime in locum *Eccl.* c. 3. de *Temporibus.* Item *de tribus generibus Vanitatum*, et in illud *Pſal.* 15. *Multiplicatae ſunt infirmitates eorum* &c. uti et explanationes aliorum Scripturae locorum. Atque hactenus Membranae Sec. XII. Deinceps Charta Sec. XV.

IX. *fol.* 1. *Speculum minus editum pro fidelium inſtructione.* Incipit: *Non eſt poſſibile quidem, ut quiſpiam anime ſalutem conſequatur, niſi et preſentem mundum et gloriam ipſius contempſerit* &c.

X. *fol.* 4. *Alterum ſpeculum maius.* Incipit: *Dilectiſſimi cum ſimus in via huius miſerabilis ac perituri mundi. atque dies noſtri tranſeant velut umbra* &c. Utroque hoc Opuſculo caducorum contemtus et cura ſalutis pie urgetur; difficile tamen eſt in tanto Speculatorum ejus aevi numero Autorem diſpicere.

XI. *fol.* 14. Opuſculum, quod in Praeloquio dicitur *Funiculus triplex*, quem ſic definit Autor: *Funiculus hic eſt vita ſancta ex fide viua ſpe et caritate in homine obſeruata.* Ita Tractatio de tribus Virtutibus theologicis, hoc initio: *Cum animaduerterem quam plurimos homines in peccatis mergi* &c. Ad marginem adjecit ſecunda manus: *Creditur funiculus fidei Jo. huſs eſſe.* Ad quam opinionem firmandam in Opuſculi decurſu nihil peculiare, ni velis illud: *Aliud eſt credere deum, aliud credere in deum, aliud credere deo* &c. quod in ſcriptis ſuis non ſemel *Huſſum* repetere memini. Ceterum inter ejus Opera *Funiculum* a nemine cenſeri video.

DCCLIV.

Codex membraneus lat. Sec. 364
XIII. Folior. 112. f. nitide exaratus, rubricisque diſtinctus complectitur *Odonis* jam *Cod.* CCCXLVI. memorati primum *Belliprati*, dein *Morimundi* in Dioec. *Lingon.* Abbatis O. Ciſterc. anno 1161. vivis erepti *Sermones*, de quibus quaedam *Prologi* audire juvat. *Ut in nouo opere ueteris recordemur exempli — Hec dicta ſunt, ut ſubſequens opus et paruum humileque fateamur. et utile non negemus. Multos tamen ad hoc habendum auctoris dilectio incitat. quia proprium eſt diligentis dilecti facta uel dicta uenerari et amare propenſius ideoque ſtudioſius recolere. Venerabilis enim uiri domni* odonis Morimundenſis *abbatis ingenio et eruditione clariſſimi eloquio facundi ſequens ſeries expoſitiones quasdam patefaciet. et ſermones quos uel regulari more in capitulo habuit. uel ſeorſum quibusdam diſſeruit. uel aperuit querentibus. Que omnia ſi proprio excepiſſet ſtilo forent pro-*